



I, 16.



I, 16.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
IOANNES DANIEL  
RITTERVS

PHILOS. ET IVR. VTR. DOCT. S. R. M.  
ET ELECTOR. SAX. A CONSILIIIS AVLAE  
HISTOR. PROF. PVBL. ORD. ET BIBLIOT.  
ACADEM. DIRECTOR

I N S T I T V T V M  
PAVLLI VALENTINI IRSCHHAVSEN

GRIMMANI SS. TH. CVLTORIS  
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM

ORATIONE ANNIVERSARIA  
IN AVDITORIO MAIORI

A. D. XII. KAL. IVN. A. R. S. c15 15 CCLXII.

CELEBRATVRI

C I V I B V S

ET POSTERITATI COMMENDAT

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XII.  
de originibus Saxonibus VII.*

---

VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

**Q**uae adhuc de antiquitatibus patriae communis in vniuersum attulimus, nonnullis in locis amplius etiam confirmanda sunt, quia vno tempore omnia dici non possunt. Vnde nunc, amoenitatibus tempestiuis inuitati, paullulum decedere a via non dubitamus. Diximus in specimine X. aliquid de nomine Germanorum, alienigenarum potius ex interpretatione domesticae adpellationis orto, quam ab ipsis primum adscito, et de Taciti cum Strabonis opinione consentientis fide: quae tamen obscura fuerint, nisi nostram sententiam paullo dilucidius exposuerimus. STRABO (l. VII. init.) a mutua fratrum salutatione, quam exemplo Cimbrorum ex PLVTARCHO, (vit. Mar. p. 419.) ibidem docuimus, ortum vocabulum sic quidem interpretari voluit, vt ob similitudinem omnium Celtarum ipsis sit inditum. Sed quod Romanorum sermone, fratres *germanos* qui soli norant, sic demum dictos fuisse, alumnus vrbs et eruditione atque cognitione rerum sua aetate aut paullo supra gestarum nulli Romuli Remiue nepotum cedens, scribit, altius aliquid et scrutatore antiquitatis dignius inuestigandum reliquit: quod ipsum in Plutarcho iamprehendimus, nisi admodum fallimur. Nouimus, quo fastidio haec opinio a plerisque ante nos excepta fuerit, et potuissimus quorundam superciliis detereri, nisi verum longe plus, quam aliorum gratiam aut laudes, amaremus. Bonis his et acribus censoribus idem acciderat, quod ANDR. PINTO RAMIRE-

MIRECIO, qui in libro quam raro, tam variae et floridae doctrinae, (Spicil. sacr. Tr. I. c. XLIX. §. 18.) scriptorem librorum de rebus Machab. dictionem solum Hebraeam adhibuisse sibi persuasit, quando prodidit, Iudaeos a Romanis amicos, et focios, et fratres, adpellatos esse. Putauerat enim duo priora satis vsu frequentata, sed illud postremum de fratribus insolens inauditumque. At enim CICERONI quid fiet, Hebraicarum certe eruditionum ignarissimo, scribenti: (l. I. ad Attic. ep. XVI.) *nam AEdui FRATRES NOSTRI pugnant;* rursusque: (l. VII. ad diuers. ep. X.) *FRATRES NOSTRI AEdui?* Quid item TACITO? rem praesertim seriam narranti: (l. XI. annal. c. XXV.) *primi AEdui senatorum in vrbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum FRATERNITATIS NOMEN CVM POPVLO ROMANO vsurpant?* Imo, quid de LVCANO statuetur, canere auso: (l. I. Pharf.)

*Aruernique ausi Latio se fingere FRATRES SANGVINE AB ILIACO POPVLI?*

Et nonne id ipsum repetit Sidonius: (l. VII. ep. VII.) *Aruernorum, pro dolor! seruitus, qui si prisca replicarentur, audebant se quondam fratres Latio dicere et sanguine ab Iliaco populos computare?* Ad dat etiam alios, plura qui velit, ad laudatos hos locos. At enim quid manifestius, quam hanc inter Iudaeos et Romanos fraternitatem, ob Soly-morum ab Homero factam mentionem, vel priscis maiorum narrationibus iactitatum, locum fe-

cisse huic compellationi? Ipse lapis, e ruinis Briten-  
burgicis erutus, a IVNIO (Batau. c. V.) lauda-  
tus, inscriptusque: GENS. BATAVORVM. AMICI.  
ET. FRATRES. ROM. IMP. satis pandit, quale *infi-*  
*gne societatis mansisse* TACITVS (Germ. c. XXIX.)  
testetur. Nam in vniuersum etiam, nihil magis ex  
ingenio quorumuis Celticorum populorum fuisse,  
cognoscimus, quam vt communem originem fra-  
trum adpellatione designarent: quum apud CAE-  
SAREM (de b. Gall. l. II. c. III.) Remi *Suessiones*  
*fratres consanguineosque suos* vocent; vt apud TA-  
CITVM (hist. l. IV. c. LXV.) Agrippinenses hono-  
ris causa foederatos sub Ciuili Germanos *consan-*  
*guineos* salutant. Neque alio pertinet, quod AM-  
MIANVS (l. XXVIII. c. V.) scribit: *Gratanter ra-*  
*tione gemina principis acceptae sunt litterae: vna,*  
*quod iam inde temporibus priscis SVBOLEM SE ES-*  
*SE ROMANAM Burgundii sciunt.* Quae nec falsa,  
neque fabulosa esse, alibi contra CLYVERIVM et  
VALESIVM docebimus. Quid ergo mirum, aut a  
moribus Gallorum et Germanorum alienum, si  
transgressi in Galliam, victores ob metum primum  
fratres compellati, mox se ipsos, quia inuentum se-  
mel veluti bono omine nomen placuerat, sic voca-  
ri, voluerint: quod vel Agrippinensium, Ciuili  
blandientium, exemplo confirmetur. Nec est,  
quod quis obiiciat: si haec sollempnis morisque aui-  
ti salutatio in nomen transit, cur ergo non *Bru-*  
*deri* potius, aut Latine *fratres* saltem, quam *Ger-*  
*mani*, dicti? Ad illud vero arguendum vel STRA-  
BONIS

BONIS auctoritas suffecerit, qui diserte a Roma-  
 nis ex interpretatione sua impositum vocabulum  
 prodit. Vnde etiam operam ludunt, qui Theo-  
 discum etymon quaerunt. Hoc vero nullius  
 momenti esse, adparet, quum promiscuum vsum  
 harum vocum vel vetus istud dictum, *Cimber  
 germanum occidit*, doceat. Imo subest magna ra-  
 tio, cur Romani hanc fraternitatem germanita-  
 tem vocare maluerint, in similitudine habitus,  
 morum, institutorum. Quis enim ignorat, natiua  
 Latii elegantia et expresse dici germana, quae sunt  
 gemina, genuina, et simillima? Veremur rursus,  
 ne sit, qui ex aduerso dicat: haec si tam sunt ex-  
 pedita et liquida, cur non Tacitus clarius loqui-  
 tur? Sed haec qui opponeret, scriptoris huius  
 grauitatem, et prope austeritatem, parum sane co-  
 gitaret. Nam mire vbique vitare solet quaestio-  
 nes minutiores, quales de originibus vocabulo-  
 rum agitantur. Praeterea rem ipsam de recentiore  
 vfu nominis satis dilucide tradidit; nisi quis in elo-  
 cutione figuratiore et inusitatiore, qua non mi-  
 nus, quam Sallustius, delectatur, haeserit. Quod  
 enim primum posuit: *primum a victore ob metum sic  
 vocatos*, satis commode a BOXHORNIO exponi-  
 tur. At enim praepositio a occasionis hic causam  
 notat, valetque idem, atque si scripsisset, vnum  
 populum, victoria nobilitatum, tractum ab ipso  
 nomen cum ceteris communicasse. In altero con-  
 tra: *mox a se ipsis*, efficientis respectum eadem  
 praepositio habet, vt sponte omnes ad idem no-

men transiisse, quod ab aliis prius, tanquam Tun-  
 grorum victorum socii et confanguinei accepe-  
 rant, intelligamus. Sed vel sic nouas adhuc diffi-  
 cultates praeuidemus. Quaerunt enim laborant-  
 que homines eruditi, quo tempore Tungri in Gal-  
 lia nouas sedes ceperint. Plerique e verbis Cor-  
 nelii nimis recens tempus animis conceperunt.  
*Vocabulum recens et nuper additum.* Sed parum  
 perspexerunt, ex mera comparatione cum vetu-  
 stissimis istis adpellationibus Ingaeuonum, Her-  
 mionum, et Istaeuonum, hoc *recens* atque *nuper*  
 addi. Et diu est, quod critici magni etiam aeu-  
 spatia his voculis enuntiari obseruarunt, quoties  
 respectu maioris aliorum antiquitatis vsurpantur.  
 Ostendimus (Spec. h. antiq. X.) iam A. V. C.  
 15 XXXI. e FASTIS CAPITOLINIS nomen Ger-  
 manorum in vsu fuisse. Inde liquet, iam antea  
 maiores Tungrorum, huius vocabuli auctores,  
 Rhenum traiecisse. Nec est mirandum, Romanis  
 circa finitima adhuc occupatis non satis exacte in-  
 notuisse, quae in tam disiunctis locis acciderant.  
 Galliae postea victores, indigenarum relatu, quid-  
 quid cognouerant, obscurius et incompertius di-  
 dicerant: vnde nec in TACTO etiam exactior no-  
 titia superat. Bene vero monuit, ex interuallo de-  
 mum Germanis in commune antea vocatis pecu-  
 liare et nouum Tungrorum nomen inditum fuis-  
 se. Egregie et prorsus ad fidem CAESARIS, (de  
 b. Gall. l. II. c. IV.) testantis, quaerentem se ex  
 indigenis sic reperisse: *plerosque Belgas ortos esse*  
*a Ger-*



a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. At enim, qui plerique hi Belgae, nisi illi ipsi, quos antea Germanos, postea Tungros dictos, Tacitus retulit? Clarius IDEM rursus: *Condrusos, Eburones, Caeresos, Paemanos*, QUI VNO NOMINE GERMANI APPELLANTUR. En ergo Tungros illos! Quid quod IDEM alibi: (l. VI. c. XXXII.) *Segni, Condrusique ex gente et numero GERMANORVM, qui sunt inter Eburones Treuirosque*. Quis non videat, quam signate et exposite ad mentem Taciti hos Belgas antiquitus Rhenum transgressos, expulisse Gallos, et diu vno nomine Germanos vocatos fuisse, Caesar compererit? Nec est dubitandum, huius testimonia illum ante oculos habuisse. Leue est, in quo nonnulli tricantur et nodos quaerunt, quasi CAESAR, priore in loco Eburones in his Germanis numeratos, in posteriori ab iis exclusit. Nam ubi copias enumerarat, rationem regionum non habuit, et finitimos Eburones validioribus accensuit. Haec, tametsi Saxonum propria non sint, praestabunt tamen eorum historiae, quam posthac persequemur, vtilitatem: quum praesertim exemplo non dissimilium, a rebus Saxonum, fatorum Tungri esse possint, qui fortuita eorum, quos subegerant, adpellatione nomen nacti, ipsi id postremum adsumserunt, et latissime in cognatas gentes diffuderunt; antequam rursus nouum, ciuitatis et regionis inde proprium, praetulerunt.

Aget

Aget diuinae prouidentiae publice gratias  
PAVLLVS VALENTINVS IRSCHHAVSEN;  
GRIMMANVS, S. S. TH. CVLTOR, quod maiores  
nostros, post tot emensos errores, antea, quam  
Christo bona fide conciliarentur, hic tandem con-  
fidere voluerit, vbi Lutherus nouum non no-  
uae veritatis praeconem ageret, et religionis suo  
auctore dignae ritus pios castosque, contempta ho-  
minum auctoritate, sacris ex tabulis descriptos  
suis aequalibus posterisque redderet, ciuitatemque  
hanc dei, erectam rursus et emendatam, institu-  
tis saluberrimis deuinciret. A. D. XII. Kal. Iun.  
hora solita maiori in auditorio ex testamenti Wey-  
rauchiani lege orationem habebit de instauratio-  
ne cultus diuini singulari prouidentiae muneri et  
decreto debita. Vos, CIVES, hortamur, ne occa-  
sionem negligatis, qua animi ad cogitationem et  
meditationem piam inducantur, et vota pro pe-  
rennitate coelestium munerum quam religiosissime  
nuncupentur. P. P. Vitebergae a. d. XIII. Kal.  
Iun. A. R. S. cIō Iō CCLXII.



T. 2972

ULB Halle  
007 441 851


3



40







Farbkarte #13

B.I.G.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
IOANNES DANIEL  
RITTERVS

PHILOS. ET IUR. VTR. DOCT. S. R. M.  
ET ELECTOR. SAX. A CONSILII AVLAE  
HISTOR. PROF. PVBL. ORD. ET BIBLIOT.  
ACADEM. DIRECTOR

INSTITVTVM

PAVLLI VALENTINI IRSCHHAVSEN

GRIMMANI SS. TH. CVLTORIS

MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM

ORATIONE ANNIVERSARIA

IN AVDITORIO MAIORI

A. D. XII. KAL. IVN. A. R. S. c15 15 CCLXII.

CELEBRATVRI

CIVIBVS

ET POSTERITATI COMMENDAT

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XII.  
de originibus Saxonis VII.*

---

VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS